

tare, dum id fit, ut ipse tentans sciat, sed etiam dum fit, ut alii sciant, quomodo dicitur Deus tentasse Abraham, Job, Tobiam, & alios Sanctos, ut mundo virtutem eorum manifestam faceret, & in exemplum poneret. Ex quo habes, (*Ibid.*) tentationem proprie dictam procedere ex ignorantia, vel dubitate, scilicet, vel illius, qui tentat, vel aliorum: & haec dicitur tentatio probationis. Alia est tentatio, quae dicitur seductionis, seu inductionis in peccatum, quomodo diabolus, caro, & mundus dicuntur nos tentare: & de ea non est hic questio, quia agimus de tentatione Dei; Deus autem non est huiusmodi tentationis capax, neque passivus, ut patet, neque activus, ipse enim neminem tentat, ait S. Jacobus Ep. Canon. c. 1. Itaque

Dico 1. (*Ibid.*) Tentatio Dei, de qua hic agitur, est duplex: una proprie dicta, quae oritur ex infidelitate, seu dubitatione de aliqua Dei perfectione; (*Art. 3. ad. 2.*) altera minus proprie dicta, quae non oritur ex dubitatione de aliqua Dei perfectione, sed plerumque ex praesumptione, seu nimia confidentia, cum quis sine justa utilitatis aut necessitatis causa petit a Deo vel voluntatis suae, vel alterius rei miraculosam declarationem.

Utraque Dei tentatio (*Art. 1. o.*) fit duobus modis, expressè & interpretativè. Expressè, cum quis per ea, quae facit, aut dicit, intendit expressè experimentum sumere Dei scientiae, vel potestatis, vel voluntatis, &c. Quo sensu legitur de Israelitis Exod. 17. *Tentaverunt Dominum dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?* Ex Ps. 77. *Tentaverunt Dominum in cordibus suis. numquid poterit Deus parare mensam in desertis?* Interpretativè, (*Ibid.*) cum quis, etsi non intendat experimentum de Deo sumere, aliquid tamen dicit, aut facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei, vel potestatem, vel voluntatem, &c. Sicut v. gr. quis equum currere faceret, ut evadat hostes, hoc non est experimentum de equo facere: sed si equum currere faciat absque aliqua utilitate, hoc nihil aliud esse videtur, quam sumere experimentum de equi velocitate.

Quando ergo (*Ibid.*) propter aliquam necessitatem, vel utilitatem committit se aliquis divino auxilio in petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare. Dicitur enim 2. Paral. 20. *Cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residuum, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Quando vero hoc agitur absque necessitate: vel utilitate, hoc est, interpretativè tentare Deum: ut si quis committens se Divino auxilio absque necessitate, aut utilitate periculosè saltet, medicinas respuit in morbo periculoso, non paratus accedat ad praedicandum, &c.

Dico 2. (*Art. 2. & 3. o.*) Tentatio Dei, sive proprie, sive minus proprie dicta, utrovis modo fiat expressè, vel interpretativè, est peccatum contra Religionem. Probat. Tentans Deum, vel dubitat de aliqua Dei perfectione, & inde quaerit experimentum, ut certificetur; & hoc est, ut patet, contra Dei reverentiam. Vel de Deo praesumit, & hinc procedit, ut, posthabito causarum ordine, & contemptis, seu neglectis mediis ordinariis a Deo constitutis, ab ipso expectet miraculosè & via extraordinaria effectum, quem intendit, quod est agere liberè & audacius cum Deo, proindeque irreverenter & irreligiosè.

Dices: Apostoli tentaverunt Deum, cum petiverunt ab ipso, ut in nomine Jesu Christi signa fierent. Act. 4. atqui tamen in hoc non peccaverunt: ergo. Minor est certa. Probat. Major. Ad tentationem, secundum D. Thomam hic a. 2. o. & nos ibidem, non requiritur, quòd semper procedat ex ignorantia vel dubitatione illius, qui tentat; sed sufficit, quòd procedat ex ignorantia, vel dubitatione aliorum: sicut cum quis experimentum

sumit de aliquo, ut aliis ostendat; per quem modum inquit S. Doctor, Deus dicitur nos tentare; atqui Apostoli petiverunt a Domino in nomine Christi signa fieri, ut virtus Christi infidelibus manifestaretur: ergo. R. Hoc argumentum bene probat Apostolos tentasse Deum, si tentatio praesè sumatur pro eo, quòd est experimentum capere, ut ipse tentans vel alii cognoscant Dei virtutem; secus autem, si tentatio sumatur in malam partem, prout ly *Tentatio Dei* sumi solet, pro eo scilicet quòd est experimentum capere de Deo sine utilitate, aut quòd est experimentum capere de Deo sine utilitate, aut necessitate, praesè ut ipse tentans cognoscatur Dei virtutem. Unde subdit S. Doctor ibidem, *Manifestum est, quòd tentare Deum ad hoc, ut ipse tentans cognoscatur Dei virtutem, est peccatum. Si quis autem ad hoc experimentum sumat eorum, quae ad Divinam perfectionem pertinent, non ut ipse cognoscatur, sed ut alii demonstret, non est tentare Deum;* (sumendo nimirum *Ly tentare Deum*, prout sumi solet in malam partem pro peccato tentationis) *cum subit justa necessitas, aut utilitas, & alia, quae ad hoc concurrere debent. Sic enim Apostoli petiverunt a Domino, ut in nomine Jesu Christi fierent signa, ad hoc scilicet quòd virtus Christi infidelibus manifestaretur.*

Quando ergo subest justa causa expectandi, vel petendi a Deo aliquem effectum miraculosum, vel extraordinarium, sive in propria, sive in aliorum utilitate, non est tentatio Dei, quae sit peccatum. (*Ibid. ad 3.*) Unde non peccavit Abraham Gen. 15. cum petit signum futurae possessionis terrae promissae, quia id fecit ex inspiratione divina. Similiter non peccasset Achaz Isae. 7. si petivisset ex mandato Dei, & ad communem totius populi consolationem. Gedconem, qui petivit signum in vellere, culpavit hic S. Doctor post Gloss. licet ipsum excuset opus. *De sortibus c. 5.*

Dico 3. Tentatio est ex genere suo peccatum mortale, utpotè contra Religionem: heri tamen potest veniale, non tantum ex imperfectione actus, sed etiam ex levitate materiae. Est autem in individuo peccatum mortale, 1. Quando procedit ex crassa ignorantia vel dubitatione eorum, quae quis scire tenetur, ut Dei potentiae, misericordiae, &c. 2. Quando est conjuncta gravi periculo vitae, aut enormis laesionis, ut si sine necessitate saltet in puteum: si in morbo periculoso recuset omnia remedia, expectans a Deo vel conservationem, vel sanationem miraculosam. 3. Si sine necessitate petantur miracula. 4. Si adsit scandalum. Extra hos casus regulariter est tantum peccatum veniale; ut si in morbo periculoso recuset remedia, quia ea putas inefficacia, & potius speras te a Deo servandum, non tamen petens, aut expectans expressè miraculum. Item, si non paratus irreverenter oras sperans te impetraturum a Deo, quae commulter rogari & impetrari solent.

Quid sit censendum de Purgationibus, olim adhiberi solitis, per ferrum candens, per aquam ferventem, & per Monomachiam? Jam dixi supra, pertinere ad sortem divinatoriam, & ad Dei tentationem, idèquè esse illicitas. Neque refert, quòd Deus olim videatur his purgationibus fuisse per miracula, ut multis exemplis conatur ostendere Deltio l. 4. *De Magia c. 4.* Id enim factum est, si factum sit tamen, vel ob simplicitatem illius saeculi, quam multi, etiam Episcopi, putarent eas in aliquibus esse licitas; vel ob simplicitatem Innocentium, qui ad has purgationes cogebantur, sicut colligitur ex cap. *Serpè contingit*, cap. 2. q. 4. atque testatur S. Aug. Ep. 137. ad Hippo-nenses. Vide Baronium ad ann. 412. num. 29. & confer petitionem primam §. quinti Articuli secundi Dissertationis praecedentis.

## DISSERTATIO IX.

## DE MENDACIO ET PERJURIO.

Div. Thom. Q. 98. 110.

## ARTICULUS I.

De Mendacio.

## §. I. Quid sit Mendacium?

licet non sit hic proprie locis disserendi de Mendacio, quia tamen est sedes Perjurii, ad faciliorem intelligentiam eorum, quae dicenda sunt de Perjurio, opportunum duxi praemittere de Mendacio, & de celebri quaestione restrictionum mentalium.

Nota. (Q. 109. a. 1. o.) Veritas, cui opponitur Mendacium, sumitur dupliciter: actualiter & habitu-

## DE RELIGIONE &amp;c.

liter. Actualiter sumpta est aequalitas, seu conformitas, vel intellectus ad rem intellectam, vel vocis, seu signi ad rem significatam, seu etiam rei ad suam primam regulam, quae est in mente divina. Haec dicitur veritas transcendentalis; prior veritas formalis. Veritas huiusmodi sumpta non est virtus, sed objectum & finis virtutis.

Veritas, habitualiter sumpta, (*Ibid.*) est habitus inclinans ad dicendum verum, quando, ubi, & quomodo oportet, & haec est virtus. Dicitur alio nomine veracitas. (*Ibid. ad 3.*) Et licet cognitio veritatis pertineat ad intellectum, tamen ejus enuntiatio, seu manifestatio per verba, aut signa, est actus imperatus voluntatis; quia homo per voluntatem profert signa exteriora ad hanc manifestationem.

Unde sequitur (*Ibid.*), quòd veritas habitualis non sit virtus intellectualis, sed moralis: & quia virtus moralis consistit in medio, id dupliciter reperitur in hac virtute: uno modo ex parte objecti, alio modo ex parte actus. Ex parte objecti quia verum importat aequalitatem, ut dictum est: aequale autem est medium inter majus & minus; unde hoc ipso quo aliquid dicitur verum, tenet medium inter eum, qui majora dicit, & inter eum, qui minora. Ex parte autem actus medium tenet in quantum verum dicit, quando & secundum quòd oportet. Superfluum verò convenit illi, qui importune ea quae sunt, manifestat. Defectus autem competit illi, qui occultat, quòd manifestare oportet. His praenotatis,

Dico 1. Mendacium est sermo prolatus cum intentione dicendi falsum. (Q. 110. a. 1. o.) Explicatur. (*Ibid.*) Actus moralis ex duobus speciebus sortitur, scilicet ex objecto & ex fine. Nam finis est objectum voluntatis, voluntas autem est primum movens in moralibus actibus: & potentia mota a voluntate habet pro objecto ipsum objectum voluntarii actus, quod se habet in actu voluntatis ad finem, sicut materiale ad formale. Dicitur est modò (*Ibid.*), quòd virtus veritatis consistat in manifestatione, quae fit per aliqua signa, sic eam per consequens mendacium ipsi oppositum. Et cum huiusmodi manifestatio sit actus moralis, oportet quòd sit voluntarius & ex intentione voluntatis dependens. Porro objectum manifestationis est verum, vel falsum. Intentio verò voluntatis inordinata in mendacio ad duo potest referri; quorum unum est ut falsum enuntietur; alterum est effectus proprius falsae enuntiationis, ut scilicet aliquid fallatur. Si ergo ista tria concurrant, scilicet quòd falsum sit id, quòd enuntiat, & quòd adsit voluntas falsum enuntians, & iterum intentio fallendi, tunc habetur mendacium ex omni parte completum; habetur enim falsitas materialiter, quia falsum dicitur & formaliter propter voluntatem dicendi falsum, & effectivè propter voluntatem falsum imprimendi.

Sed tamen (*Ibid.*) ratio essentialis mendacii sumitur a formalis falsitate, ex hoc scilicet quòd aliquid habet voluntatem falsum enuntians. Unde & mendacium nominatur ex eo, quòd contra mentem dicitur. Et idè si quis falsum enuntiat, credens, id esse verum, est quidem falsitas materialiter, sed non formaliter; quia falsitas est praeter intentionem dicentis; unde non habet perfectam rationem mendacii: si verò aliquid formaliter falsum dicat, habens nempe voluntatem falsum dicendi, licet sit verum id, quòd dicitur, in quantum huiusmodi actus est voluntarius & moralis, habet per se falsitatem, & per accidens veritatem: unde ad speciem mendacii pertingit. (*Ibid.*) Quòd autem aliquid intendat falsitatem in opinione alterius constituitur fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quandam perfectionem ipsius: sicut & in rebus naturalibus aliquid speciem sortitur, si formam habeat, et si desit formae effectus, ut patet in gravi, quòd violentè sursum detinetur, ne descendat secundum exigentiam suae formae.

Ex quibus sequitur, rectè a nobis traditam esse definitionem mendacii, & male a quibusdam defendi intentionem fallendi esse essentialem mendacio; licet enim qui mentitur; regulariter intendat alterum fallere, & mendacium ex natura sit fallax, haec tamen intentio non est necessaria ad rationem essentialem mendacii, ut constat ex dictis: & patet in eo, qui praesente iudice crimen commisit, & tamen, ne convincatur, ei perstrictè negat se illud commississe; mentitur indubiè, & tamen non habet intentionem fallendi iudicem.

Huic D. Thomae sententiae suffragatur S. Aug. quidquid dicant Henno, Layman, & alii. Is enim lib. *De Mendacio* cap. 4. *Nemo dubitat mentiri cum, qui volens falsum enuntiat causa fallendi... sed utrum hoc solum sit mendacium, alia questio est.* Hanc porro quaestionem esse ac-

gativè resolvendam, ex ipsomet Aug. constat, quia in Ench. c. 18. dicit, quòd *promere lingua aliud, quam sit in pectore clausum, sit malum proprium mentientis.* Et in Ps. 5. dicit, Mendacium jocosum esse mendacium, sed non perniciosum, quia non fallit. Refertur locus integer infra. Unde, quando dicit S. Augustinus lib. *contra Mendacium* c. 16. quòd *Mendacium sit falsa significatio cum intentione fallendi*, & Ench. c. 22. quòd omnis, qui mentitur contra id, quòd animo sentit, loquitur voluntate fallendi, & similia; non loquitur de omni mendacio, sed de eo solum, quòd extra dubium est habere naturam mendacii, & quòd habet perfectionem mendacii. Hoc etiam sensu intelligendus est S. Thomas, cum quodlib. 6. q. 9. dicit, quòd *peccatum mendacii principaliter consistit in intentione fallendi*, vel dicendum, eum retractasse hic, quòd junior dixit.

Dixi in conclusione: *Sermo prolatus*, per quòd mendacium distinguitur a simulatione & hypocrisis, quae consistunt in factis, mendacium autem in verbis, scriptis, aut signis illis, quibus dicitur loqui. Sed haec distinctio est valde levis & superficialis: (Q. 111. a. 1. o.) qui enim rebus, aut factis aliquid simulat esse verum, quòd scit esse falsum, etiam rectè dicitur mentiri; omnisque simulatio proprie dicta est verum mendacium; unde fit, quòd aliquis dicitur mentiri sexum, sanctitatem, &c.

Itaque, si sumatur mendacium in tota sua latitudine, prout comprehendit etiam simulationem proprie dictam & hypocrisim, est omnis significatio falsa ex mente significantis, sive fiat verbis, sive factis. Simulatio autem proprie dicta (*Ibid. o. & ad 3.*) quatenus est mendacium, est fictio, qua quis per exteriora signa factorum, vel rerum significat contrarium ejus, quòd in eo est, ut si tristis est, simulat se laetum; si iratus, placatum.

Ubi advertit, quòd, licet omnis simulatio sit fictio, non tamen omnis fictio sit simulatio proprie dicta, quae est mendacium. (*Ibid. ad 1.*) Et 1. cum fictio, inquit Aug. l. 2. *de Quest. Evang. c. 51.* refertur ad aliquam veram significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis, ut patet de figuratis locutionibus, in quibus fingitur quaedam res, non ut asseratur ita esse, sed eam proponimus in figuram alterius, quòd asserere volumus; licet inde aliquis decipiatur, deceptione ejus ex causa permissa, non intenta. Sic Dominus in Evangelio finxit se longius ire, quia composuit mortuum suum quasi volentis longius ire, ad aliud figuratè significandum, scilicet quòd ipse ab eorum fide longè erat, ut dicit Greg. hom. 23. in Evang. (*Ibid. ad 3.*) Item fictio non est simulatio proprie dicta, nec mendacium, quando est tantum celatio, seu dissimulatio veritatis, quam aperire non expedit, etiam inde, ut dixi de priori fictione, praevideatur aliquis decipiendus, deceptione ejus ex causa permissa, non intenta. Sicut enim aliquis non mentitur, quando tacet quòd est, sed quando verbis significat quòd non est, ita non est simulatio proprie dicta quando aliquis praetermittit significare factis quòd est, sed si significat quòd non est. Unde potest aliquis peccatum suum occultare sine simulatione utendo dissimulatione. Haec enim, quòd bene nota, contraria sunt: Stimulamus falsa, dissimulamus vera; simulamus esse, quae non sunt, dissimulamus non esse, quae sunt.

Hypocrisis (*Ib. art. 2. o.*) verò est simulatio personae alterius, unde dicitur hypocrisis, qui in Theatris agunt personas aliorum: at verò in novo Testamento hypocrisis sumitur pro simulatione sanctitatis, quam quis non habet. Unde omnis hypocrisis est simulatio, non e contra.

## §. II. Quotuplex sit Mendacium?

Dico. (Q. 110. a. 2. o.) Mendacium tripliciter dividipotest; 1. Secundum ipsam mendacii rationem, quae est propria & per se mendacii divisio. Et secundum hoc mendacium dividitur in hoc, quòd transcendit veritatem in majus, quòd pertinet ad jactantiam; & in hoc, quòd deficit a veritate in minus, quòd pertinet ad ironiam. Haec autem divisio idè est per se ipsius mendacii, quia mendacium in quantum huiusmodi opponitur veritati, ut dictum est: veritas autem est quaedam aequalitas, cui per se opponitur majus & minus. (Q. 212. a. 1. o.) Igitur jactantia est, quando aliquis effert se supra id, quòd in ipso est: unde opponitur veritati per modum excessus. (Q. 113. a. 1. o.) Ironia non sumitur hic pro locutione figurata, qua irrisorie aliquid per contrarium dicitur, sed pro aliqua specie mendacii, & est, quando aliquis asserit de se aliquid vile, quòd in se non agnoscit; aut quando negat



gat de se aliquid magnum, quod tamē percipit in seipso. Unde opponitur veritati per modum defectus.

2. Dividitur (Q. 110. a. 2. o.) mendacium ex parte finis, seu effectus, ex quo culpa mendacii minuitur, vel aggravatur, in jocosum, officiosum, & perniciosum. Et est divisio, quae communiter circumfertur. Jocosum est, quod causa voluptatis suae, vel alienae dicitur. Officiosum, quod causa utilitatis suae, vel alienae. Perniciosum est, quod alicui injuste nocet.

3. Mendacium secundum fines particulares, seu certas materias dividitur ab Aug. libr. *De Mendacio* c. 14. in octo membra, quorum singula continentur sub uno ex tribus praedictis, v. gr. sub officioso continetur, quod est utile ad res fortunae servandas, quod est utile ad vitam servandam, & quod est utile ad famam servandam, & sic de ceteris.

Dices contra 2. divisionem. S. Augustinus libr. *De mendacio* c. 2. docet, jocos nonquam putata esse mendacia, his verbis: *Exceptis igitur jociis, quae nunquam sunt putata mendacia; habent enim evidentissimam ex pronuntiatione, atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis. Quo genere utrum sit utendum perfectis animis, alia questio est, quam modo enodandam non suscepimus, &c.* Similiter q. 145. in *Gen. Mendacia a mendacibus serio aguntur, non joco. Cum autem, quae non sunt, tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacia: ergo male dividitur mendacium in jocosum, &c.* R. His duabus S. Augustini auctoritatibus alias duas oppono: & 1. secundam divisionem assignatam quae desumpta est ex ipso libro eodem *de Mendacio* c. 14. & in Ps. 5. 2. Ibidem in Ps. 5. haec ejus verba: *Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocantur, aut ut proximo proximo, mentitur; illud primum in jocando, idem non est perniciosum, quia non fallit; novit enim ille, cui dicitur, joci causa esse dictum. Secundum autem idem miras est, quia retinet nonnullam benevolentiam.*

Conciliandus est ergo S. Augustinus. Doctissimus Sylvius hic existimat, Aug. in prioribus locis non loqui de mendacio secundum ejus essentiam, sed secundum perfectionem, quasi dixisset jocos, licet sint vera mendacia, non reputari tamen pro perfectis mendaciis, ea nimirum perfectione, quae ex intentione fallendi sumitur. Verum difficile adducor, ut huic explicationi calculum adjiciam quia Aug. ibi ponit in questione, utrum talibus jociis utendum sit animis perfectis; quod sane non fecisset, si censuisset esse vera mendacia, siquidem certo certius est maximè apud Aug. omne verum mendacium, qualecumque sit, esse peccatum, ideoque ab animis perfectis non usurpandum. Quapropter dicendum arbitror, duplici modo falsum dici joco. 1. Ita ut ex circumstantiis, & ut dicit Aug. ex ipsa pronuntiatione verba habeant aliam significationem ab ea, quam secundum se considerata praeseferant, ut si dicam ridendo amicis: *tota hac nocte pugnavi cum Turca: vel hac nocte fui Romam, & redivi*: Ex circumstantiis & modo pronuntiandi haec verba non significant me reverè dimicasse cum Turca, aut ivisse Romam & redivisse, sed vel me id somniasse, vel aliquid aliud, quod in mente habeo; ideoque satis perspicuum est audientibus, etsi forte aliqui praehabitudine, vel inadvertentia non intelligant. Alio modo potest dici falsum joco, ita ut verba, etiam attentis circumstantiis, retineant suam naturalem, & obviam significationem: ut si animi oblectandi, aut conversationis fovendae gratia, inter amicos serio narrem me, dum essem Parisiis, vidisse Regem, Regnam, hos & hos aulicos mensae Regiae assistentes, concentum modulatissimum illic audivisse, &c. vel, me heri venatum fuisse leporem, mira industria huc illic gyranem, canibus illudentem, &c. quae tamen nec vidi, nec feci.

Quae igitur primo modo dicuntur joco, non sunt mendacia; quia loquens non tantum non habet intentionem fallendi, nec falsum dicendi, sed nec etiam falsum dicit, attendentem verborum significationem ex circumstantiis; licet, si attenderet eorum significationem ex sua institutione, falsum enuntiet. Et de talibus jociis dicit Aug. in prioribus locis non esse mendacia. Quae vero 2. modo dicuntur joco, sunt mendacia; quia, etsi loquens non intendat fallere (quia, ut suppono, sive credant, sive non credant audientes, non curat) habet tamen intentionem falsum dicendi, & reverè, attendentem significationem verborum, etiam in talibus circumstantiis falsum dicit: & de talibus jociis dicit Aug. in posterioribus locis, esse mendacia. Haec, salvo meliori judicio, quae majorem lucem accipiunt ex dicendis infra de restrictionibus mentalibus.

Dices 2. contra eandem divisionem: Omne mendacium est perniciosum: ergo male dividitur in officiosum, jocosum, & perniciosum. Prob. Ant. omne mendacium secundum se est fallax & inductivum erroris in mentes audientium, ut dicitur infra, proindeque nocivum societati civili: ergo. R. Mendacium (*Ibid.* a. 4. o.) praeter nocumentum assignatum posse esse perniciosum duplici alio modo. Primo ratione materiae, ut si quis mentitur in materia Religionis, aut alia damnificativa proximi in bonis vel animi, vel corporis, vel fortunae. Secundo modo, ratione finis extrinseci mentientis, ut si quis mentitur in quavis materia ex intentione nocendi Deo, vel Proximo in praefatis bonis; & secundum hanc ultimam rationem proponitur praefata divisio mendacii in officiosum, jocosum & perniciosum, secundum quam ut patet non omne mendacium est perniciosum, sed vel officiosum, vel jocosum.

### §. III. Utrum omne Mendacium sit peccatum, & quale?

Nota: Plato, Origenes, Abbas Joseph, Cassianus, & alii existimant, quandoque urgente necessitate licitum esse ut mendacio tanquam medicamine: quibus consentire videntur S. Chrysostomus in fine libr. 1. *De Sacerdotio*, Hieron. Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, & plerique Graeci in cap. 2. ad Galat. ubi docent objurgationem Pauli fuisse simulatam, eamque licitam. Contra quos

Dico 1. (*Ib.* a. 3. o.) Mendacium, sive in verbis, sive in factis, in nullo casu est licitum. Prob. 1. ex Scriptura, quae indiscriminatim omne mendacium prohibet. Exod. 23. *Mendacium fugies. Levit. 9. Non mentiemini. Prov. 19. Qui mendacia loquitur, non effugiet, scilicet poenam.* Ad Coloss. 3. *Nolite mentiri invicem.* Similiter ad Ephes. 4. & 1. Joann. 2. *Omne mendacium ex veritate non est; quod autem non est veritate, nunquam licitum & bonum esse potest, cum Deus, qui est ipsa veritas, sit omnis boni Auctor.*

Prob. 2. ex Patribus. Licet antiquiores Patres, haeresi Priscillianistarum nondum orta, ex professio mendacii non egerint, sufficienter tamen illud quovis casu illicitum dixerunt. 1. Justinus Martyr in Apolog. 2. scribit, Christianos male mori, quam mentiri. S. Cyprianus l. 3. ad Quirin. c. 104. dicit, non esse mentiendum, quia abominatio est Domino labia mendacia. Ambrosius l. 2. in c. 1. Luc. dicit, os justum mendacium nescire. Similiter Basil. Reg. 24. Sanct. Ephrem, & alii, imò S. Hieronymus ipse c. 4. Apolog. contra Rufin. damnat Origenistas, quod dicerent mendacio quandoque utendum tanquam medicamento.

At vero grassante haeresi Priscillianistarum, qui errores suos mendacis & perjuriis & occultabant, quidam Catholici, ut eos detegerent, opinati sunt sibi licere se Priscillianistas simulare. Quapropter S. Augustinus ex professio suscepit probandum, omne omnino mendacium esse illicitum. Unde prioribus libris quos scripsit de mendacio, adjuvit alterum *Contra mendacium*. Hunc secuti sunt posteriores Patres, & omnis Theologorum schola; sic ut Alexand. III. c. *Super eo tit. De usuris* dicat, Scripturam Sacram prohibere mentiri, etiam pro alterius vita servanda. Unde, sicut Aug. Ep. 19. opponebat Hieronymo Ambrosium & Cyprianum; sic nos Chrysostomus, Theodoretus, & alii, si qui sint, qui faveant mendacio, praeter Ambrosium & Cyprianum opponimus ipsum Augustinum, imò & ipsum Hieronymum, qui tandem descendit in Augustini sententiam. Ceterum, quia Hieronymus, Chrysostomus, & plerique citati Patres Graeci non dicuntur favere mendacio, nisi in quantum sustinent objurgationem Pauli factam Petro ad Gal. 2. fuisse simulationem, & in tali casu licitam: forte possent excusari dicendo eos sumere simulationem largè pro dissimulatione, aut pro aliqua fictione licita. Ita benignè interpretatur Hieronymus S. Thomas hic Q. 111. art. 1. ad 2.

Prob. 3. ratione. (*Ibid.* a.) Quod est ex se, seu ex genere suo malum, nullo modo potest esse bonum & licitum, quia ad hoc, quod aliquid sit bonum, requiritur, quod omnia rectè concurrant; bonum enim ex integra causa, malum vero ex quovis defectu; atqui mendacium est ex se & ratione sua intrinseca malum: ergo. Prob. Minor: rerum abusus contra suam institutionem est ex se malus; atqui tale est mendacium: ergo. Prob. Minor: scilicet loquendi, seu voces, aliae signa sunt naturaliter instituta ad manifestandos alii nostros conceptus; atqui, qui mentitur, illis utitur contra id, quod conceptus in mente: ergo mendacium est abusus &c. Et hinc fluit altera

ratio. 2. Quamvis non sit necesse ad rationem mendacii, quod mentiens habeat intentionem expressam fallendi, ut dicitur est; attamen omne mendacium, hoc ipso quod est abusus signorum, est fallax de se & deceptivum, proindeque violativum amicitiae, & nocivum vitae sociali, & ita ex se malum.

Confirmatur: Omne mendacium est de se inductivum erroris in mentes audientium; atqui hoc est per se & intrinsece malum, atque a ratione alienum: ergo. Prob. Minor: sicut veritas est perfectio maxime propria mentis humanae, ita omnis error, seu falsitas est ejus deonestatio, & dedecus: ergo id in altero efficere per mendacium, & ejus mentem in similitudinem Dei conditam sic deonestare, est per se & intrinsece malum. Unde ipse Philosophus, solo lumine naturali instructus 4. Ethic. c. 7. dicit, quod mendacium sit per se pravum, & fugiendum. Ex quibus evidens manet ullo bono fine, etiam mortis fugiendae, aut peccati vitandi, non posse magis coonestari mendacium, quam fornicationem, adulterium, & alia hujusmodi.

Quae possent opponi ex Patribus, soluta manent ex dictis in 2. probatione.

Dices: Obstertrices Aegypti fuerunt remuneratae a Deo propter mendacium. Exod. 1. & Michaeas c. 2. optat loqui mendacium: ergo. R. Ad 1. (*Ibid.* ad 2.) quod obstertrices Aegyptiae non fuerint remuneratae propter mendacium, sed pro timore Dei, & benevolentia, ex qua processit mendacium: unde signanter dicitur Exodi 1. *Et quia timebant obstertrices Deum, adificavit illis domos.* Ad 2. R. Mendacium ibi sumi materialiter pro re falsa, quasi diceret: utinam non eveniant, quae praedico. Cetera, quae obijci solent, & possunt ex Scriptura, solvantur infra dum agemus de restrictionibus mentalibus.

Dico 2. Mendacium ut sic, praecise consideratum secundum se, abstrahendo a tali, vel tali materia, tali, vel tali fine, non videtur esse per se mortale, quia inordinatio illa, scilicet abusus signorum, & hinc deceptio proximi, praecise secundum se, neminem graviter laedit, nec everit vitam socialem, etsi illi non nihil noceat. Quapropter, cum mendacium jocosum, & officiosum (*Ibid.* a. 4. o.) non habeant aliam inordinationem praeter istam, quae etiam ex parte materiae, & intentionis minuitur, non excedunt culpam venialem; licet quandoque per accidens ratione scandalii, aut damni sequentis possint esse mortalia. At vero mendacium perniciosum (*Ibid.*) est ex genere suo peccatum mortale; quia secundum se repugnat Charitati, per quam anima vivit Deo conjuncta. Potest tamen esse veniale, vel ex imperfectione actus, vel ex levitate damni.

Porrò, ut jam dixi §. praecedenti, mendacium dici potest perniciosum dupliciter; uno modo ex parte materiae, in qua versatur, ut si sit significatio falsa in doctrina Religionis, vel bonorum morum, vel alicujus scientia. Alio modo ex parte finis extrinseci, ut si dicatur mendacium in quavis materia cum intentione, ut irrogetur injuria Deo, vel nocumentum proximo, sive quoad personam ejus, sive quoad res; & utroque modo repugnat Charitati, proindeque est peccatum mortale secundum se.

Ex quo inferes 1. cum Cajetano hic & aliis, Doctores nedum Theologos, sed & Juristas, & Medicos, falsas opiniones scienter docentes, peccare mortaliter per gravitatem materiae. Item & Praedicatoribus ex Cathedra mentientes in materia Doctrinali, falsa miracula, falsas indulgentias, falsas reliquias annuntiantes, vitam Sanctorum aliter, quam sit, fingentes: quia talia mendacia cedunt in contemptum Religionis, verbi divini, vitae, & miraculorum Christi, & Sanctorum; & aliunde hi Praedicatoribus ratione officii gerunt vices Christi, in cuius persona loquuntur, siquae eorum mendacia ipsum Christum deonestant. Dixi: *in materia Doctrinali*; quia, si Praedicator mentiar in aliis, v. gr. in citationibus, citans unum caput pro alio, unum Prophetam, aut Doctorem pro alio, vel in aliis levioribus vix, aut ne vix doctrinam spectantibus, peccaret tantum venialiter, quia hoc non est proprie mentiri in materia Doctrinali, sed in ejus accidentibus.

Inferes 2. mentientem in Confessione circa aliquid grave pertinens ad Confessionem, aut etiam circa aliquid leve, quod foret tota materia Confessionis, peccare mortaliter propter gravem injuriam Sacramento irrogatam, scilicet, si mentiar in re gravi, quae tamen non sit tota materia Confessionis. Idem censeo de mentiente in iudicio forensi, sive sit iudex, sive accusatus, sive testis; scilicet eum peccare mortaliter, si mentiar in re gravi, cuius veritatem dicere tenetur; venialiter tantum (secluso juramento) in re levi; quia non videtur ratio, cur in utroque foro non sit admittenda levitas materiae.

*Theol. Billuart. Secunda Secundae.*

Inferes 3. (*Ibid.*) quosdam male dixisse, mendacia officiosa, & jocosa esse peccata mortalia in viris perfectis; quia nulla circumstantia aggravat in infinitum, nisi quae transfert ad aliam speciem: circumstantia autem personae non transfert in aliam speciem, nisi forte ratione alicujus annexi, puta, si sit contra votum ipsius, quod non potest dici de mendacio officioso, & jocoso. Adde, quod omnia peccata venialia forent mortalia in viris perfectis; est enim eadem ratio de omnibus. Fatetur tamen, tales facilius peccare graviter ratione scandalii.

Oppones illud Ps. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, & illud Sap. 1. Os, quod mentitur, occidit animam suam:* ergo omne mendacium est mortale. R. Has auctoritates loqui de mendacio pernicioso, ut patet ex contextu.

Inst. Aug. libr. *De Mendac.* c. 6. & libr. contra mendac. c. 1. hunc locum Ps. 5. extendit ad omne mendacium sine exceptione: & concione 1. in Ps. 30. dicit eum mori in anima, qui pro servanda corporis vita mentitur: ergo. R. S. Augustinum sumere *perditionem, & mortem* animae late pro omni nocumento, quo vel impeditur, vel retardatur salus animae.

Repones. Aug. libr. *contra mendac.* c. 6. docet, esse peccatum mortale mentiri pro conversione haereticorum: ergo, &c. S. Augustinum ibi loqui de his, qui simulabant haeresim Priscillianistarum, ut eos facilius detegerent: simulare autem haeresim est mendacium Deo, & Religioni perniciosum. Ceterum Augustinum agnoscere mendacia officiosa, & jocosa esse levia peccata, patet ex dictis supra §. 1.

## ARTICULUS II.

### De restrictionibus mentalibus, Amphibologiis, seu Equivocis.

Nota 1. Restrictionem mentalem esse actum mentis, quo, dum loquimur, verba restringimus, seu detorqueamus ad aliud, quam ad id, quod significant: ut si petenti elemosinam respondeam *nihil habeo*, subintelligendo, *ad tibi dandum*; vel si iudici interroganti Reum, an commiserit furtum, respondeat *fiar*, *non commisi*, subintelligendo, *manu sinistra*. Nota 2. Recentiores plerumque distinguere restrictiones in purè, seu strictè mentales, & late mentales. Restrictio purè mentalis est, quae ita membra interiora est, ut nullatenus per verba, aut circumstantias exteriores manifestetur, ut in exemplis allatis. Late mentalis est, quae vel ex modo interrogandi, aut respondendi, vel ex usu, vel ex aliquibus circumstantiis exterioribus, sic apparet exterius, ut ab audiente possit percipi, licet forte non percipiatur defectu intelligentiae, vel advertentiae: ut si, v. gr. queraenti a me, utrum non viderim Patrem meum, respondeam, *non vidi*: Quamvis sensus horum verborum praecise secundum se sit, quod nullatenus viderim Patrem meum, tamen interrogatione, & circumstantiis attentis, patam est sensum esse, me non vidisse Patrem ea visione, qua illi hic & nunc eum indicare possim. Similiter, si amico viro prudenti, & Religioso interroganti: an Titius reverè commiserit homicidium, de quo est accusatus, respondeam ego Confessarius, *nescio*, quod tamen scio ex Confessione: quamvis sensus naturalis hujus vocabuli *nescio* sit, me nullo modo scire; sensus tamen obvius ex circumstantiis, & ex usu est me nescire ut hominem, sive ad revelandum.

Ubi vides, verba sub restrictione late mentali prolata importare duplicem sensum; unum ex sua primaria significatione, seu impositione, quem voco naturalem, alterum ex circumstantiis consignantibus, quem voco accidentalem: ut *Ly nescio* in praecedenti casu Confessarii ex sua institutione significat simpliciter nescire; ex circumstantiis significat nescire ut homo, seu ad revelandum, siquae coincidere cum equivocis. Verum improprie haec & similes locutiones dicuntur continere restrictiones mentis, siquidem, si non secundum se, saltè secundum modum communem loquendi, & circumstantias personarum, ac ne negotiorum, significant, quod intendit loquens, quamvis forte subobscurè, non secus, ac verba aequivoca, vel figuratae locutiones, ut ironiae, hyperbolae, joci, parabolae, fabulae, &c. in quibus non dicitur esse restrictiones mentis: unde rectius vocarentur restrictiones dictionis, quam mentis. Ceterum, ut non recedamus a communi modo loquendi, dicantur, per me licet, restrictiones improprie, seu late mentales.

Dico 1. Numquam est licitum uti restrictioni proprie, & pu-



purè mentali. Prob. 1. ex condemnatione sequentium propositionum ab Innocentio XI. 11. Martii 1679. Prima est. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intrà se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.* Est 26. inter damnatas. Secunda: *Iusta causa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ità ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.* Est 27. ergo, &c.

Prob. 2. omnibus auctoritatibus tum Scripturæ Sacræ, cum SS. Patrum, quibus supra probavimus nunquam esse licitum mentiri, quandoquidem hæ restrictiones sint vera mendacia, ut patebit modò. Quibus adde ex Scripturis: Ecclesiastici 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis erit.* Ps. 33. *Labia tua ne loquantur dolum.* Et Ps. 33. *queritur, quis ascendet in montem Domini, & respondetur: Qui non juravit in dolo proximo suo: Quid autem aliud est loqui dolum, inquit Aug. Hom. 1. ex 50. c. 3. nisi aliud labiis promere, cum aliud claudatur in pectore, quod facit, qui utitur restrictione purè mentali.* Et S. Thomas hic, q. 89. a. 7. ad 4. ait: *Quando non est eadem jurantis intentio, & ejus cui juratur, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur.* Unde Isidorus dicit l. 2. de sum. bono c. 31. *Quocumque arte verborum quis juret, Deus tamèn, qui conscientie testis est, ità hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Et q. 109. art. 3. ad 1. *Quia homo est animal sociabile, naturaliter unus homo alteri debet id, sine quo societas humana non servari posset. Non autem possunt homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tamquam sibi invicem veritatem manifestantibus: quod sanè non facit utens restrictione purè mentali.*

Prob. 3. ratione. Restrictiones purè mentales sunt pura, putaque mendacia: ergo. Prob. Ant. 1. auctoritate SS. Augustini, & Thomæ Augustini l. 1. de Mendacio c. 23. dicit: *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat.* Et S. Thomas hic q. 111. a. 1. o. *Sicut ad veritatem pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est; sic veritatis opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet;* atqui, qui loquitur cum restrictione purè mentali, seu qui sensum naturalem, & obvium verborum, quæ profert, detorquet purè mentaliter ad aliud, quod mente cogitat, & nullo modo significatur, ille certè aliud habet in animo, & aliud verbis enuntiat, sive per verba aliud significat, quam quod habet apud se; ut patet in fure, qui negat se fecisse furtum, mente cogitans, manu sinistra: ille enim scit in animo se verè, & simpliciter fecisse furtum, & verba, quæ profert, simpliciter dicunt non fecisse: ergo juxta SS. Aug. & Th. &c. Prob. 2. idem Ant. ratione. Ille propriè mentitur, qui scienter dicit falsum; atqui loquens sub restrictione purè mentali scienter dicit falsum. Patet in eodem exemplo: Fur dicens, *Non sum furatus,* falsum dicit: quia verè furatus est, & scienter quia scit se furatum fuisse. Nec obstat, quod non furatus fuerit manu sinistra, prout mente intelligit; hæc enim verba, *Non sum furatus,* non significant ipsum non furatum fuisse manu sinistra, sed simpliciter non furatum fuisse: ergo. Confirmatur: Si iste fur absquè restrictione mentis diceret, *Non sum furatus,* procul dubio, secundum ipsos adversarios, mentiretur, quia diceret falsum: ergo etiam quando restrictionem adhibet. Prob. Conseq. Restrictio illa mentis non mutat verborum significationem; non enim est unius particularis, verbis significationem, quam libuerit, imponere, aut positam mutare: ergo etiam adhibita restrictione scienter dicit falsum. Id itaque solum præstat restrictio illa, quod corrigat loquentis conceptum, non sermonem, sicut non sibi, sed audienti mentiatur.

Dices: Mendacium supra definitum est sermo prolatus cum intentione dicendi falsum; atqui loquens cum restrictione mentali non habet intentionem dicendi falsum; idè enim adhibet restrictionem mentalem, ut non dicat falsum: ergo. R. N. Minorem. Implicat enim, quod quis dicat scienter falsum, & non intendat dicere falsum. Undè distinguo assumptum. Idè adhibet restrictionem mentalem, ut non dicat falsum: & istud medium impedit efficaciter, ne dicat falsum, N. Et non impedit effi-

caciter, C. Fateor ergo, sic loquentem habere quamdam, velleitatem non dicendi falsum; at cum reverà dicat falsum, & quidem scienter, non obstante illa restrictione, mentis, ut probatum est, habet verè intentionem efficacem dicendi falsum, & consequenter mentitur.

Prob. 4. Conclusio ab inconvenientibus. 1. Si licitus foret usus restrictionum purè mentalium, nullus nisi hebes, & plumbeus mentiretur, cum nihil sit facilius, quam mentaliter detorquere sensum verborum ad quodvis aliud. 2. Usus restrictionum mentalium non minus nocet societati humanæ, quam mendacia, cum inde æquè decipiantur audientes, ergo.

Dico 2. Ut restrictione improprè, & latè mentali, vel verbis æquivocis, quando sensus a loquente intentus aperitè innotescit ex circumstantiis, quovis casu est licitum secundum se: sicut quovis casu licet secundum se uti figuris & tropis, narrare fabulas, edicere parabolas, &c. Quia tunc nullus est dolus, nullum mendacium, nullum inconveniens: imò potius foret dolus & mendacium, si adhiberentur verba contraria, ut patet in exemplo prius allato de quærente, num viderim Patrem meum, cui respondeo, non vidit.

Dico 3. Ut restrictione improprè mentali, aut verbis æquivocis, quando sensus a loquente intentus est obscurus, & ipse loquens intendit celare veritatem, licet quidem, at ex gravi dumtaxat causa, & urgente necessitate. Probatur 1. Pars 1. Ex variis Scripturæ locis, quæ verificari non possunt absquè opene talis restrictionis improprè mentalis, ut patebit ex solutionibus objectionum adversus 1. Conclusionem. Prob. 2. ex SS. Aug. & Th. S. Aug. libr. contr. mendacium c. 10. dicit: *Quamquam omnis, qui mentitur, velit celare, quod verum est; non tamen omnis, qui vult celare, quod verum est, mentitur.* Et S. Th. hic q. 110. a. 3. ad 4. *Non est licitum mendacium dicere... licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione: quæ ultima verba referuntur ex Aug. loco prius citato; atqui, qui loquitur cum restrictione latè mentali, aut æquivocis, nihil aliud facit, quam veritatem prudenter occultare, ad dissimulare, non enim mentitur, ut dicam modò, sed in circumstantiis consignantibus verum dicit, licet obscurè: ergo. Prob. 3. ratione. Usus restrictionum latè mentalium, & æquivocorum in casu conclusionis neque est mendacium, neque dolus, aut iniustitia, neque societati humanæ est noxius: ergo est licitus. Patet Conseq. Quia non potest esse illicitus, nisi propter aliquam rationem ex assignatis.*

Prob. Ant. quoad 1. partem, nempe non esse mendacium: & quoad æquivoca patet, quia verè significant, quod intendit loquens, licet forè non ità distinctè, nec communiter; suppono enim manere æquivoca, ut explicabo sub finem articuli. Quoad restrictionem etiam patet; quia, licet verba naturaliter, & secundum suam institutionem non significant id, quod intendit loquens, illud tamen significant ex circumstantiis, vel materia, vel loci, vel temporis, vel persone, interrogantis, aut respondentis, vel secundum usum receptum in tali casu, alias foret restrictio purè mentalis: ergo. Prob. idem Ant. quoad 2. partem, nempe non esse dolum, neque iniustitiam. Loquens non intendit decipere audientem, sed tantum celare, quod habet justam causam celandi: neque etiam quantum est ex se decipit, siquidem verba ejus significant id, quod intendit, ut dictum est: què si decipiatur audiens, non intelligendo sensum loquentis, imputet suæ, vel inadvertentiæ, vel insciitiæ, vel aliquando malitiæ, quatenus indebitè interrogat, atque injuria vult extorquere secretum: ergo. Prob. idem Ant. quoad 3. partem, nempe non esse noxium societati humanæ. Societas humana non exigit, ut quisque semper, & omnibus suis sensus & secreta distinctè pandat. Imò prodere secretum quandoquæ non est minus noxium societati humanæ, & interdum Religioni, quam mendacium, ut patet in Confessario, Legato Principis, Duce exercitus, &c.; atqui sæpè non est aliud medium illud servandi, quam uti restrictione improprè mentali, vel æquivocis: talis enim est hominum indoles, ut si tacas, vel dicas interrogationem non mereri responsum, sive te ad illam non teneri respondere, statim concludant, rem ità se habere, sicut existimant, vel interrogant: ergo talis usus non nocet societati humanæ, sed potius illi prodest.

Prob. 2. pars Conclusionis. Ut promiscuè talibus restrictionibus in communi hominum convicto pro rebus levibus, aut etiam gravioribus, sed sine necessitate, nocet societati humanæ, derogat sinceritati Christianæ, & simplicitati, quam commendavit nobis Christus Matth. 5. his ver-

verbis: *sit autem sermo vester, Est, Est; Non, Non, &c.* Et licet non sit mendacium, est tamèn dolus malus & peccatum contra virtutem veritatis, seu veracitatis ob affirmativum ejus præceptum, quo obligatur propter vinculum societatis humanæ & bonum publicum aperte proximo, dum loquimur, veritatem, de qua est quæstio, aut de qua interrogamur: ergo. Imò contingere potest, ut rectè adverteat quidam moderni, quò idem modus loquendi, seu respondendi sit restrictio pure mentalis in rebus levibus, aut ubi non est necessitas, qui tamèn esset tantum restrictio latè mentalis in re gravi, statim & quasi naturaliter is in admonet rei gravitas suæ injuste interrogationis, & juris in altero secretum suum per aliquam æquivocationem, aut dissimulationem celandi; quod non accidit in rebus levibus, ubi interrogantes solent accipere responsa eo modo, ac si haberent jus interrogandi, imò in re gravi, ubi suppedit alia via suum secretum tegendi: tunc enim interrogans non presumit, nec presumere debet respondentem adhibere latè medium, quòd solum propter necessitatem natura homini suggestit.

Porò justa causa utendi his restrictionibus latè mentalibus, aut amphibologiis est utilitas gravis, propria, vel aliena, sive vitatio gravis damni proximi, vel alieni.

#### Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contrà 1. Conclusionem plura loca Scripturæ sacre, quæ a mendacio excusari non possunt absquè restrictione propriè mentali. 1. Christus Joann. 7. petentibus Discipulis, ut ascenderet ad diem Festum, respondit: *Vos ascendite ad diem Festum hinc, ego non ascendo ad diem Festum istum:* & tamèn verè seq. legitur, quòd ipse postea ascenderit ad diem Festum. 2. Christus Marci 13. quærentibus Apostolis de die & hora judicii, respondit: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater.* 3. Paulus Act. 23. dicit se nescire eum, cui maledixerat, esse Summum Pontificem, & tamèn paulò antea agnoverat eum suum Judicem his verbis: *Tu sedens iudicas me secundum legem.* 4. Gen. 12. & 20. Abraham dixit de uxore sua Sara, quòd soror sua esset. 5. Gen. 27. Jacob dixit patri suo se esse Esau, & multa alia finxit. 6. Tob. 5. Angelus dixit se esse ex filiis Israhel Azariam Ananie magni filium. 7. Amos 7. negat se esse Prophetam. 8. Elixus 4. Reg. 6. dixit militibus Regis Syrix, missis in Dothan ad comprehendendum eum: *Non est hæc via, neque ista est civitas, sequimini me, & ostendam vobis virum, quem queritis; dixit ergo eos in Samariam, &c.* 9. Abraham Gen. 22. dixit servis suis, quòd revertetur cum filio suo, postquam adoraverint. 10. David 1. Reg. 20. rogat Jonathan, ut dicat Patri se profectum esse in Bethleem, cum tamèn occultaretur in agro. Et c. 21. dicit Sacerdoti Achimelech, se a Rege Saul esse missum, cum tamèn fugeret a facie ejus. Et c. 27. interrogatus ab Achis Rege Gethi, in quem irruisset hostiè, respondit se irruisse in meridiem Judæ, cum tamèn egisset prædam de Amalecitis. 11. Judith. c. 10. 11. 12. multa dixit apparenter falsa custodibus & Hopherni. 12. Joseph Gen. c. 42. dicit fratres suos esse exploratores, & eos venisse, ut considerarent infirmitatem & immunitatem terræ Ægypti. Et c. 44. dicit scipham absconditum in sacco Benjamin, ipsum esse, in quo augurari solet. Et infra fratres alloquens: *An ignoratis, inquit: quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* 13. Multa prædixit Deus, quæ non evenerunt, scilicet 4. Reg. 8. de Benadab, *Dic ei, sanaberis, & tamèn non fuit s. n. us.* Cap. 20. de Ezechia, *Moriaris tu, & non vives,* qui tamen convaleuit. Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur, & tamèn non est subversa.* 14. His addi possunt varis simulationes. Sic Christus Luc. ultimo, *finxit se longius ire.* Josuè c. 8. simulavit fugam, fugiens coram Rege & habitantibus Hai. David. 1. Reg. c. 21. simulavit se stultum coram Achis Rege Gethi, immutando os suum, collabendo inter manus astantium, impingendo in ostia porta, sinendo salivam defluere in barbam, &c. Jehu 4. Reg. 10. simulavit colere velle Idolum Baal; & a Deo remuneratus est. Petrus & Barnabas ad Galat. 2. simulaverunt ritus Judæicos. Adde nonnulli exempla Sanctorum, qui se aut stultos, aut alicujus criminis reos simulaverunt. Hæc, inquam, dicta & facta excusari non possunt a mendacio & simulatione, nisi recurratur ad restrictiones mentales: ergo.

R. N. Ant. & dico, hæc & verbi & facta, aut excusari posse & a mendacio absquè restrictione mentis, aut non Theol. Billuart. Secunda Secunda.

esse excusanda. Sed, antequàm ad singula respondeam, statuo aliquas Regulas generales ad intelligentiam plurimorum. Regula prima: quando in Scriptura Sacra inducuntur aliquorum gesta quasi exempla virtutis, si quæ in eorum dictis apparent, quæ mendacia videntur, intelligendum est, ea figuratè & prophetice dicta esse; ità post Aug. libr. *De Mendac.* c. 5. Doctor Angelicus. (*Hic q. 110. a. 3. ad 3.*) Regula secunda: non omne, quòd fingitur, mendacium est, sed quando id fingitur, quòd nihil significat veri: cum autem fictio nostra referatur ad aliquam significationem non est mendacium, sed aliqua figura veritatis: alioquin omnia, quæ a Sapientibus & sanctis, vel etiam ab ipso Domino figuratè dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non subsistunt veritas talibus dictis. Ità Aug. l. 2. Quæst. Evang. q. 51. & ponit exemplum in parabola hominis habentis duos filios, quorum junior accepta parte patrimonii sui profectus est in regionem longinquam, &c. quæ dicuntur, non quasi fuerit homo, qui in suis filiis hæc passus sit, aut fecerit, sed ficta sunt ad veritatem altiorè significandam, nempe psum Deum misericordem. Contrè, quæ diximus supra Ant. præcedente §. 1. sub finem. Hinc, & sit Regula tertia: quæ mysticè, propheticè, parabolice, sive œconomice ad instruendam altius veritatem dicta, vel facta sunt, cum vulgariter intelligenda; sed sensu a Spiritu S. intento, & ex circumstantiis colligenda. Ità Clerus Gallicanus in sua censura anni 1700. n. 12. quibus præmissis, ad singula respondeo.

Ad 1. dico 1. Christum non ascendisse reverà ad diem Festum istum, ad quem invitabatur ab Apostolis, scilicet ad primum, sed ad altum sequentem, & ut insinuat v. 14. circa medium octovæ; durabat enim octo diebus festum scenopægie. 2. Dato Christum ascendisse eodem die, quo invitabatur ascendere, verè tamèn respondit absquè restrictione propriè mentali, se non ascendurum, eo scilicet modo, quo rogabatur a Discipulis, solemnitè & publice; dicebant enim Apostoli: *Transi hinc, & vade in Judæam, ut Discipuli videant opera tua, & manifesta te ipsum Mando.* Non sic autem ascendit, sed, ut notat Evangelista ibidem, *Non manifestè, sed quasi in occulto:* & sic vera fuit & aperta ad sensum & intelligentiam interrogantium ejus responsio. 3. In Græco habetur: *Nondum ascendit,* & hoc sensu intelligendum esse Ly Non in latino, patet ex sequentibus verbis: *Quia tempus meum nondum impletum est.* Postea autem ascendit, quia tempus ejus impletum est, quando nempe deferbuerat furor Judæorum, qui quærebant eum interficere.

Ad 2. dico, sensum obvium verborum Christi ex circumstantiis esse, se nescire diem judicii, ut hominem legatum a Patre ad revelandum hominibus, sicut Legatus de secreto Regis sui interrogatus, potest dicere nescire, nempe ut manifestet, & sic ex usu intelligitur ab audientibus. Simili modo Joann. 5. dicit Christus: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis:* nempe omnia, quæ ut Legatus Patris audivi vobis communicanda. Neque dicas, indè sequi contrà verba Christi, etiam Patrem nescire, quia nulli revelat: revelat enim Filio & Spiritui S.

Ad 3. cum diu Paulus abfuerat a Jerosolyma, & novus erat hic Pontifex; atque a multis circumstantiis, & assidentibus cingebatur, & forè etiam tumultuarie & confusè sedebatur, nec erat certus Pontifici locus, utpotè non in Templo, nec in domo sua, sed aliena, in quam jussu Tribuni convenerant, non est mirum, quòd Paulus in ipso statim ingressu non agnovit ut Pontificem illum, qui jussit eum percuti, licet agnovit ut unum ex Sacerdotibus vocatis ad ipsum judicandum. Quòd si contendas, Paulum verè agnovisse Summum Pontificem, tunc dico vel ironiam esse, vel *To Nesciebam* idem significare ac *To Non habebam* hunc pro Summo Sacerdote, sed pro pariete dealbato, utpote cujus Sacerdotium expirat.

Ad 4. (*Hic q. 110. a. 3. ad 3.*) Sara erat neptis Abraham, nimirum filia Aran fratris Abraham; Abraham enim, & Aran erant ex eodem patre Thare, licet non ex eadem matre, quia Thare habuit duas uxores; & idè verè dixit Abraham de Sara: *Soror mea est;* quia more usitato Scripturarum consanguinei vocantur fratres, aut sorores; sic Abraham ipse c. 13. vocat Loth fratrem suum, cum solum esset nepos, sic consanguinei Christi in Evangelio vocantur ejus fratres: *Aliquid ergo veri tacuit Abraham, inquit Aug. non falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem.*

Ad 5. (*1b.*) Jacob mysticè dixit se esse Esau primogenitum.



nitum Isaac; quia videlicet primogenita illius ei debeban-  
tur tum ex Decreto Divino, tum iure emptionis. Usus  
est autem hoc modo loquendi per spiritum Prophetiae ad  
designandum mysterium, qui videlicet minor populus, sci-  
licet Gentilium, substituendus erat in locum primogeniti,  
scilicet in locum Iudaeorum. Cujus signum est, quod a  
Patre, re etiam deprehensa, non arguatur, quia potius  
magis magisque stabilior dicente Patre: *Benedixi ei, &  
erit benedictus*. Neque obstat, quod paulo post subiungit:  
*Veni germanus tuus fraudulentus*, quia non intelligit de  
mala & illicita fraude, sed de astutia, seu calliditate. Ita  
August. & ipsum sequutus S. Thomas, pluresque alii con-  
nantur excusare Jacob & matrem ejus a mendacio, con-  
formiter ad regulas supra positas. At vero Chrysostomus,  
Lippomanus, Scotus, Lyranus, Cajetanus, a Lapide, &  
plures alii existimant Jacob & vestem, & factis, & verbis  
mentium fuisse Esau, non solum quoad jus primogenitu-  
rae, sed etiam in persona, & ideo dicit: *Feci, sicut praepre-*  
*cepisti mihi*, id est, sompsi arma & pharetram, & egres-  
sus sum foras, & hoc quod offero venatu apprehendi, quod  
totum falsum est. Et licet hoc facto significatum fuerit  
mysterium, nempe quod Christus induerit peccata nostra,  
sicut Jacob induit vestes Esau, & quod Ecclesia Christi es-  
set praeferenda Synagoga, sicut Jacob natu minor praefere-  
tur Esau natu majori; nihilominus mysterium in historia la-  
tens, non tollit sensum historicum: ut patet v. gr. in his-  
toria Saræ & Agar. Insuper hoc mysterium tantum fuit  
ex parte Dei & Spiritus S. qui illud intendebat, non au-  
tem ex parte Jacob, qui illius erat inscius, & tantum in-  
tendebat matri obedire, & Patris benedictionem surripere,  
ut patet ex responsis ejus factis matri suae. Neque etiam  
Isaac hoc mysterium intelligebat, aut intendebat, ut pa-  
tet ex ejus stupore, quando fraudem detexit, licet postea  
divinitus edoctus datam benedictionem retractare nolue-  
rit. Utravis autem solutio admittitur, non opus est restric-  
tione mentali. Vel enim Propheta fuit Jacob in omnibus  
hujus facti circumstantiis, vel a mendacio officioso non est  
excusandus.

Ad 6. Angelus Raphael loquutus est secundum simili-  
tudinem personae assumptae, & ideo praefereus similitudi-  
nem & formam unius ex filiis Israel, scilicet Azariae, ve-  
re poterat dicere absque restrictione stricte mentali: *Sum  
ex filiis Israel, Azarias Ananiae magni filius*: sicut  
Gen. 31. & alibi, quia Angelus praeferebat personam Dei,  
verè dicebat: *ego sum Deus*. Sic etiam Imago S. Petri vo-  
cari solet S. Petrus. Insuper, sicut actiones Angelorum in-  
ter homines non sunt accipiendae ut actiones humanae, sed  
ut actiones humanis similes, aliud ulterius significantes, si-  
cut, v. gr. videntur comedere, ut ostendant se cibo invisibi-  
bili apud Deum frui: sic etiam sermones ipsorum accipien-  
di sunt potius ut signa quorundam mysteriorum, quam  
secundum proprietatem verborum. Quando ergo dixit Ra-  
phael se esse ex filiis Israel, significat se filiis Israel  
adesse per amorem & mysterium. Similiter, quando di-  
xit se esse Azariam Ananiae magni filium, significat se  
Divinae Providentiae consilio missum in adiutorium Tobiae,  
quia *Azarias* significat *Adiutorium*, & *Ananias* signi-  
ficat *Donum Dei*.

Ad 7. quod dixit Amos: *Non sum Propheta & non sum  
filius Prophetae, sed armentarius ego sum vellicans Sico-*  
*moros*, quomodo sit intelligendum, ipsemet declarat, dum  
subiungit: *Et tulit me Dominus cum sequeretur gregem, &  
dixit ad me: vade Propheta ad populum Israel*. Sensus er-  
go apertus est sine restrictione mentis: non sum natus Pro-  
pheta, ut Jeremias, neque filius Prophetae, id est, nec insti-  
tutione, qua filii Prophetarum quasi ad donum Prophetiae a  
parentibus praeparabantur. Neutrum mihi contigit, sed cum  
sequeretur gregem, tulit me Dominus, & dixit: *Vade, Pro-*  
*pheta ad populum Israel*.

Ad 8. Nota, orante Eliseo, Deum percussisse milites  
missos ad eum comprehendendum in civitate Dothan qua-  
dam specie caecitatis, qua non fit, ut qui ea laborant, nihil  
videant, sed ut non videant distinctè, nec discernant sibi  
praesentia; quomodo Sodomitae Gen. 19. eo genere caecita-  
tis percussi discernere non poterant, nec invenire ostia do-  
mūs Loth. Cum ergo, inquam, milites a Rege Syria missi  
hoc genere caecitatis essent percussi, nec Eliseum ipsis lo-  
quentem nec civitatem Dothan sibi praesentem proprie &  
distinctè viderent, id est, non agnoscerent, quia in oculis  
eorum non impressa erat species Elisei, aut civitatis Do-  
than, sed longè diversa; verè Eliseus potuit illis dicere  
absque restrictione mentali: *civitas ista, quam videtis, sci-*  
*licet proprie & distinctè, non est civitas Dothan: via, quam*

cernitis, nempe proprie & distinctè, non est via, quae du-  
cit in Dothan. Potest etiam esse sensus: non est haec  
via, neque ista civitas, in qua inventuri estis Eliseum,  
quem quaeritis; quia, licet Eliseum alloquerentur, quia  
tamèn eum non agnoscebant, reverà non inveniebant, sed  
demum postea invenerunt in Samaria, ubi caecitas eorum  
depulsa est.

Ad 9. Abraham ex promissione sibi facta a Deo, quod  
in Isaac vocaretur ipsi semen, certissimè existimavit,  
quod vel Isaac a mortuis excitaret, vel non sineret ip-  
sum immolari: quod aperte testatur Paulus ad Hebr. 11.  
dicens: *fide Abraham obtulit Isaac... arbitrans quod a  
mortuis suscitare potens est illum*. Undè Aug. serm. de  
immolat. Isaac ait: *in spem contra spem sperans, & fi-*  
*lium mactaturus ducebat, & a Domino suscitandum confi-*  
*debat*. Potuit ergo sine ulla restrictione mentis verè dice-  
re servis suis Abraham: *postquam adoraverimus, reverte-*  
*mur ad vos*. S. Th. (Hic q. 111. art. 1. ad. 1.) propter  
reverentiam Ambrosii dicit, Abraham figurativè loquutum  
fuisse, *Prophetavit Abraham*, inquit Ambrosius lib. de  
Abraham c. 8. *quod ignorabat: ipse enim solus disponebat  
redire immolato filio, sed Dominus per os ejus loquutus  
est quod parabat*.

Ad 10. In his tribus casibus David non excusatur a  
mendacio officioso, nisi forte in primo reverà habuerit  
intentionem proficiscendi Bethleem, & postea redire in agrum.  
Si dicas mendacium, c. 21. relatum, videri perniciosum,  
eò quod postea sequuta sit exas Achimelech & aliorum  
Sacerdotum, de quo ipse David c. 22. sequenti dicit Abia-  
har: *Ego sum reus omnium animarum Patris tui*. R. Is-  
tam eadem millitanti sequutum fuisse ex mendacio David,  
sed potius ex facto Achimelech; quia nempe dederat Da-  
vid panes & gladium, & consulerat Deum pro eo, ut  
ipsi exprobrat Saul c. 22. ibidem. Dicit autem David se  
reum istius casus, vel quia metuebat se imprudenter egis-  
se, petendo coram Doeg servo Saulis gladium & oraculum,  
quod clam petere debuisset; vel quia hoc factum ejus, li-  
cèt innoxium, fuit occasio hujus casus; vel tandem quia  
secundum illud Greg. *bonarum mentium est, ibi etiam ag-*  
*noscere culpam, ubi culpa non est*.

Ad 11. S. Th. (Hic q. 110. art. 3. ad 3.), Lyra-  
nus, Abulensis, Estius, Sa, & plures alii existimant, Ju-  
dith in pluribus mentium fuisse Holopherni & ejus cus-  
todibus, officiosè tamen; nec eam laudari, quod menti-  
ta sit, sed propter affectum, quem habuit ad salutem Po-  
puli, pro qua periculis se exposuit. Addit tamèn S. Doctor  
(Ibid.) etiam posse dici, quod verba ejus veritatem habeant  
secundam aliquem mysticum sensum; & ità sentiant Rab-  
banus, Chartistanus, Hugo, Serarius, quos citat & se-  
quitur Tirinus in c. 10. & 11. Judith, dicens, quod, si  
verba Judith partim ironice, partim amphibologice, partim  
prophetice, partim conditionate, & secundum praesentem  
rerum statum accipiuntur, per omnia veritati quadrent.  
Vide laudatum Tirinum. Sed dices contra 1. interpreta-  
tionem, mendacia Judith, si mentita sit, videri pernicio-  
sa & mortalia. 1. Quia falsa & gravia crimina imponit  
suis concubis, nempe quod cogitaverunt impendere &  
consumere sancta Domini, quae praecipit Deus non con-  
tingi. 2. Quia mendaciter dixit, quod Dominus misit  
eam nuntiare Holopherni ea, quae narrat: S. Scriptu-  
ra verò grande scelus reputat dicere: *Hac ait Dominus,*  
cum Dominus non dixerit, aut miserit. Jerem. 14. & 22.  
Et Apost. 1. Cor. 15. dicit esse falsos testes contra Deum,  
qui dicerent Deum aliquid fecisse, quod non fecit: ergo,  
R. Ad 1. Judith non imposuisse falsum crimen Bethulien-  
sibus, partim quia in tali necessitate licuisset & contin-  
gere & consumere sancta Domini, hoc est, Primitias &  
munera Deo oblata, sicut fecit David 1. Reg. 21 partim  
quia verisimile est, quosdam ex Bethulienisibus, vel magis  
impatientes, vel majori necessitate actados, id cogitasse  
& deliberasse. Ad 2. Judith, praemissis oratione & jeju-  
nio, confidebat se divinitus inspiratam esse ad hoc opus,  
nempe liberationem populi aggrediendam, & hoc sena  
potuit dicere se a Deo esse missam. Insuper disparitas est,  
quod mendacia Pseudoprophetarum, de quibus loquitur  
Jeremias, erant populo perniciosa, foventia nimium ip-  
sum in peccatis: similiter perniciosum fuisset, si Apostoli  
praedicassent Christum non resurrexisse, de quo loquitur  
Apostolus. Ad mendacia Judith erant in communem Popu-  
li utilitatem.

Ad 12. Joseph non dixit, fratres suos esse explorato-  
res asseverando, sed tentando & inquirendo, quomodo ju-  
dices solent loqui, dum inquirent de crimine: unde sequi-  
tur: *Jam nunc experimentum vestri faciam: ubi autem*

quis

quis experimentum vult capere, ibi non est simplex afir-  
matio rei, cujus experimentum quaerit. Nec obstat, quod  
Joseph sciret, fratres suos non esse exploratores: agebat  
enim personam publicam, & gerere se tamquam igno-  
rante, neque tenebatur prodere, quod sciebat. Ad id, quod  
affertur ex c. 44. S. Augustinus sup. Genes. c. 145. respon-  
det, Josephum sic locutum fuisse joco, non serio, cui res-  
ponsioni subscribens S. Th. (Hic q. 95. a. 7. ad 2.) addit  
tamèn (quod magis placet) Josephum hoc retulisse ad il-  
lud, quod vulgus de eo opinabatur, seu locutum fuisse  
ex vulgi opinione, cum enim in rerum occultissimarum  
explicatione, & futurarum praedictione excelleret, vulgò  
putabatur, eam cognitionem accipere per auguria, more  
aliorum, qui se augures, & divinos profitebantur, quique  
ad augurandum utebantur vasibus aqua plenis, ut Aegypti-  
ti, Chaldaei, & Assyrii. Similiter, quod Joseph postea  
addit: *Ac ignoratis, quod non sit similis mei in angu-*  
*raudi scientia?* sensum habet: an ignoratis, me vulgò ha-  
berì docissimum in augurandi scientia. Tirinus cum qui-  
busdam aliis non improbabiler dicit, To Augurium hic  
non sumi pro augurio proprie dicto, quod ex volatu, tri-  
pudio, & garritu avium, vel alio aliarum rerum motu  
captabatur, sed pro conjectatione quavis licita, quae vel  
instinctu Spiritus S. vel ex naturali sagacitate, & solertia  
procedit: sic enim & Cicerone, & a Plinio, & ab Aris-  
totele usurpatur, & vox Hebraea *Nachas* utrinque sig-  
nificat. Hoc sensu dici posset solitum Josephum, ut erat  
sagacissimus, hoc scipho conjectare de indole, prudentia,  
arcinis hospitem suorum, nam in vino veritas ultra se pro-  
dit. Ita laudatus Auctor.

Ad 13. (Hic q. 171. a. 6. ad 2.) Nota pro ejus solutio-  
ne, quod divina praesentia respicit futura secundum duo: 1.  
Secundum quod sunt in seipsis, in quantum ipsa praesentia  
taliter intuetur in sua aeternitate. 2. Secundum quod sunt  
in suis causis creatis, & contingentibus, in quantum scilicet  
videt ordinem causarum ad effectus: & quamvis con-  
tingentia futura, prout sunt in seipsis, sint determinata ad  
unum; tamèn prout sunt in suis causis non sic sunt determi-  
nata, quia possunt aliter evenire. Et quamvis ita duplex  
cognitio semper in intellectu divino conjungatur, non tamèn  
conjungitur semper in revelatione Prophetica, quia  
impressio agentis non semper ejus virtutem adaequat: unde  
quandoque revelatio Prophetica est quaedam impressa simili-  
tudo divinae praesentiae, prout respicit ipsa futura con-  
tingentia in seipsis, & talia sic eveniunt, sicut propheta-  
ta, ut illud Isaia 7. *Ecce Virgo concipiet*; & omnia,  
quae praedicta sunt de Adventu, Passione, & Resurrectione  
Christi. Quandoque verò prophetica revelatio est similitudo  
impressa divinae praesentiae, prout cognoscit ordinem cau-  
saram ad effectus, & tunc quandoque aliter evenit, quam  
prophetatur, nec tamèn Prophetae subest falsum: nam sensus  
Prophetiae est, quod inferiorum causarum dispositio  
hoc habet, ut talis effectus eveniat. Hoc notato, ad id,  
quod obijcit de Rege Benadab, sensus aperitur ex se-  
quentibus verbis: sic enim legitur: *Dixit ei (scilicet Azaeli  
misso a Rege) Eliseus: Vado, die ei sanaberis: porro  
ostendit mihi Dominus, quia morte morietur*. Hac ultima  
verba aperte indicant aliquid aliud importari per To Sa-  
naberis, quam absolutam sanitatem; alias foret contradic-  
tio in verbis Prophetiae. Quando ergo dicitur; *Sanaberis,*  
verum erat secundum causas, quia infirmitas non erat ad  
mortem. Et quando additur; *morte morietur*, verum erat  
de futuro simpliciter, & absolute, quia mortuus est, non  
quidem ex morbo, sed suffocatione ipsi allata ab Azael.  
Juxta priorem sensum (Ib.) intelligendum est verbum  
Isaie dicentis Ezechiae: *morietis tu, & non vides*: id est,  
dispositio corporis tui ad mortem ordinatur, seu morbus  
tutus est lethalis. Et similiter, quod dicitur Jonæ 3. *Ad-*  
*huc quadragesima dies, & Ninive subvertetur*, id est, hoc  
praesentia ejus merita expiunt, ut subvertatur, nisi pen-  
nitentiam agat. Unde quidam vocant tales prophetias com-  
minatorias, quae intelliguntur cum conditione subaudita in  
comminationibus, nisi convertatur, nisi emendetur, resi-  
piscat, &c.

Ad 14. quantum ad fictionem Christi Luc. ultimo jam  
dixi supra articulo praecedente §. 1. sub fine, fictionem,  
quae refertur ad significandam aliquam veritatem, non es-  
se mendacium: finxit autem Christus longius ire, ut sig-  
nificaret se a fide discipulorum longè esse. Vide loco ci-  
tato, & secundam regulam ante solutiones objectionum.  
Huic solutioni hinc alteram adde cum Estio, Tirino, &  
aliis: *Christus finxit longius ire*: id est, composuit in-  
cessum suum ad longius eundem, quod & reverà fecis-  
set, si a Discipulis non fuisset invitatus ad manendum

cum illis, sicut, qui dicunt, se velle domum redire, eo ta-  
men animo, ut, si invitentur ab amico ad coenam, consti-  
tuant illi acquiescere, & apud ipsum manere: ubi, sicut non  
est mendacium, nec restrictio purè mentalis in dicto, ita nec  
hic fuit in facto Christi.

Quantum ad Josuè, fictio ejus fuit cautele, & licita,  
quia poterat significare vel fugam ejus, vel prudentiam.  
Pro quo nota attentè, discrimen inter voces, & gesta:  
quod voces non sint institutae nisi ad significandum, &  
plerumque unam determinatè significant. Gesta autèm ha-  
bent alium usum, quam significandi; & si sumantur ut  
signa, plerumque sunt aequivoce. Hinc excusantur satis  
communiter a mendacio, & simulatione proprie dicta, qui  
gerunt vestes Turcicas, non ut se simulent Turcas, sed  
ut se distinguant esse Christianos; (Hic q. 40. a. 3. a.) qui  
insidiis in bello jasto utuntur; qui signa militaria hostium  
assumunt, ut se, vel sua consilia occultent. De quibus  
vide Layman l. 2. Tract. 1. c. 11. n. 4. & 5.

Hac etiam ratione quidam tentant excusare Davidem  
simulante se stultum coram Achis: at, ut nihil veretur  
minus probabiliter, nisi velis excusare omnes omnino si-  
mulationes. S. Th. (Hic q. 111. a. 7. ad 2.) post Aug. enar-  
rat. 1. in Ps. 53. dicit, fuisse fictionem figuralem, & pro-  
pheticam, significatam scilicet Christi humilitatem in ideo-  
natione, mysticam ejus vultus immutationem in novo ideo-  
natioe Corpore, & Sanguinis ejus; quam expositionem pro-  
pter Auctores veneramus. Si cui tamèn non ardeat, & velit  
Davidem hic facto mentium fuisse, sicut in eodem capite  
eidem Regi Achis verbo mentitus est secundum communio-  
nem opinionem, quando ei dixit, se a Rege Saul missum  
esse, non multum releturam.

Simulationem Jehu (Ibid.) non est necesse excusari a  
peccato, vel mendacio; quia malus fuit ad Idololatriam Je-  
roboam non recedens: commendatur tamèn & tempora-  
liter remuneratur a Deo, non pro simulatione, sed pro  
zelo, quo destruxit cultum Baal, & Domum Achab. De  
simulatione Petri actus fuit concertatio inter Hieron. &  
Aug. ut constat ex ejus Epistolis, de qua in Digressio-  
ne speciali ad calcem hujus Dissertationis. Quantum ad  
simulationes quasdam Sanctorum, de quibus Natalis Ale-  
xander l. 2. Theol. Dogm. a. 3. Reg. 15. respondet S. Aug.  
l. contr. mendac. c. 9. *Quod non omnia, quae a Sanctis, &  
justis viris legitur facta, transferre debeamus in mores.*  
Interdum enim passi sunt quidpiam humani, sed hoc hu-  
manae fragilitatis naevos operum, ac delevit ardentissima  
eorum charitas.

Sed petes, quare Scripturarum Sententiae sunt quandoque  
tam obscurae, & tam ambiguae? Respondet S. Aug. lib. cit.  
c. 10. 1. *Ut sensum pie quaerentis exerceant. 2. Ne quida,  
ne prompta vilescent. 3. Ut quasi substracta desiderentur  
ardentius, & inveniantur desiderata juvenilius.*

Obj. 2. contra eandem Conclusionem. Verborum signi-  
ficatio accipienda est juxta intentionem praeferentis, & non  
audientis, aut interrogantis, ut patet ex cap. *Humane au-*  
*res*. Caus. 2. q. 5. desumpto ex D. Greg. 27. moral. c. 8.  
ubi sic legitur: *Humane aures talia verba nostra judicant,  
qualia foris sonant; divina verò judicant talia foris audiunt,  
qualia ex intimis profertur... Non debet aliquis verba  
considerare, sed voluntatem, & intentionem, quia non de-  
bet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*. Subdit  
Gratian. ibid. inde patere, quod Deus non accipiat sic ju-  
ramentum, sicut ille, cui juratur; sed potius sicut, qui ju-  
rat, intelligit: ergo, R. Hoc totum esse verum, (Hic q. 89.  
a. 7. ad 4.) quando aliquis bona fide, & sine dolo agit,  
ejusque verba aliquo modo sensum intentum, quem mente  
concepit, significant; non vero, si dolum adhibeat, ejus-  
que verba nullo modo sensum internum significant: *Qua-*  
*rumque enim arte verborum quis furet, inquit Isidorus l. 2.  
de sum. bono c. 31. Deus tamen, qui conscientiae testis  
est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit; &  
quod hoc intelligatur de dolo juramento, patet per id,  
quod subditur: dupliciter reus fit, quia & nomen Dei in  
vanum assumit, & proximum dolo caput.*

Obj. 3. contra eandem: Mentiri est ita contra mentem  
ire, seu loqui, ut, licet verba sint secundum se falsa, hoc  
est, difformia rei enuntiatæ, si tamèn sint conformia men-  
ti loquentis, non sit mendacium, ut patet in eo, qui  
bona fide putans dicere verum, dicit tamèn falsum; atqui  
verba loquentis cum restrictione mentali sunt ejus men-  
ti conformia: ergo. Probatur Minor. Mens ejus est dice-  
re, quod ipsa concepit: ergo, R. N. Minorem. Ad prob.  
D. Ant. Mens ejus est dicere, quod ipsa concepit, & de  
ficto non dicit, C. Ant. Et de facto dicit, N. Ant. Mens  
enim ejus non potest mutare significationem naturalem

ver-